



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VII. Idem (a) Messan. Capitulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT VI.

Innocentius III. (a) *Capitulo Spoletano.*

Significastis nobis per litteras vestras, quòd cum N. civis Spolet. quandam mulierem duxisset legitime in uxorem, eam relicta cuidam (b) meretrici adhæsit: & cum ab ejus contubernio ad thorum non posset legitimum revocari, vos in eum excommunicationis sententiam protulistis. Verum cum medio tempore uxor ipsius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem, cui adhærebat, desponsavit, propter quod à nobis requiritis, quid sit vobis in hoc articulo faciendum. Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam canonicam respondentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel eam vivente sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judices, (c) excommunicato munus absolutionis, si petierit, juxta formam Ecclesiæ impensurus.

NOTÆ.

1. (a) *Spoletano.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 1. & in epistolis editis à Sirleto, fol. 48. ex quo registro ita textum restituo. De Ecclesia Spolet. egi in cap. 4. de sepulchris.*

2. (b) *Meretrici.* Meretrix quæ propriè dica-

tur, exposui in cap. 44. *Concil. Illiber.*

(c) *Excommunicato.* Cum quo tolerato, id est non denunciato, licet contrahi matrimonium, docuerunt Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 9. num. 8.* Diana 3. *pract. 4. resol. 268.* Gibalinus *de censuris disquisit. 7. q. 1. consecr. 33.* licet contrarium teneat Basil. *lib. 6. de matrim. cap. 10. num. 3.*

3.

CAPUT VII.

Idem (a) *Messan. Capitulo.*

Veniens ad præsentiam nostram G. laicus lator præsentium, humili nobis insinuatione monstravit, quod cum olim in civitate (b) Lemovicensi quandam sibi matrimonialiter copulasset, & per biennium cohabitasset eidem, ab ea demum animi levitate recessit: cumque per sæculum evagando, Messanam advenerit, ibidem M. mulierem inciam penitus, quod idem G. aliam haberet (c) uxorem, sibi solenniter copulavit, ex qua duos filios dignoscitur suscepisse. Verum cum eidem in pœnitentia fuisset injunctum, ut ad legitimam rediret uxorem, & ipse propter hoc in suam patriam rediisset, uxorem suam inveniens carnis debita perfolvisse, ad Messanam rediit civitatem, & supradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori: nunc autem impositam sibi pro priori excessu pœnitentiam agens, humiliter & devotè cohabitandi eidem M. à nobis licentiam postulavit. Licet autem præfatus G. vivente legitimâ conjugem prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defunctâ, utpote à lege ipsius solutus, in eandem M. de novo potuit matrimonialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris: mandamus quatenus si promissis veritas suffragatur, eundem G. ut supradictæ M. affectu adhæreat conjugali, sublato cujuscumque contradictionis, & appellationis obstaculo, licentiam concedatis, non permittentes eundem super hoc ab aliquibus indebitè molestari.

NOTÆ.

1. (a) *Messan.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 2. De Messan. Sicilia dicecesi egi in cap. Massana, de elect.*

(b) *Lemovicensi.* Quæ est in Gallia, ut probavi in cap. 17. *de majorib. & obed.*

2.

(c) *Uxorem.* Juxta tradita in capite in præsentia, *de sponsal. cap. 3. de sponsa duorum.*

3.